



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, Tractatus
Tres spirituales**

Arias, Francisco

Coloniae, 1615

19. De mortificatione Odoratus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48767)

IN Odoratus sensu nonnulla que
que inordinatio mortificanda oc-
currit. Ac primò quidem, si odor
suavis in diuinis officijs, & venerati-
one Sãctorum excitetur, propterea quo
significet sanctorum orationes & de-
uotiones, quæ Deo sunt odor suauissi-
mus; deinde vitam sanctam, & exem-
pla bona, vnde iusti & pij dicuntur bo-
nus odor Christi, non opus est morti-
ficare sensum odoratus, sed mentem
attollere ad boni odoris significatum,
ardereque desiderio eas preces institu-
endi, quæ odorem suauissimum sub-
ministrant Deo, eamque viuendi ra-
tionem tenere, vt bonus odor Christi
esse possimus coram hominibus. Rur-
sum quando boni odores vsurpantur
in rebus necessarijs, nulla opus habet
seruus Dei mortificatione; modo eis
vtatur propter necessitatem. At qui vs-
urpantur in vestibus, manibus, cubi-
culis, ad delicias & mera oblectamen-
ta sensuum, illi mortificandi sunt, &
remouendi, eò quod debito fine virtu-
tis sint destituti. Accedit, quòd qui e-
iusmodi odores procurant, aut secum dese-

deferunt, vt ab astantibus eorum percipiatur fragrantia, declarant se animo valdè sensuales, experientiaq; doctet, homines lasciuos esse odoribus amœnis addictissimos. Atque esto, sit aliquis opinione aliorum tanta virtute præditus, vt illi suspicioni locus non sit, tamen speciem notamque mali non effugit, nec paruum indicium dat, quòd longè absit ab imitatione crucis, & abnegatione Christi, quæ consistit in repudiandis omnibus commodis, & illecebris corporis, amplectendisque contrariis, quæ pœnam aliquam carni infligant.

Hanc inordinationem odoratus cō-
 nitetur quoque Augustinus. *De illece-* Lib. 10. *con-*
bra, inquit, *odorum non satago nimis* fess. c. 32.
cum absunt, non requiro, cum adsunt, non
respicio, paratus etiam eis semper carere.
 Quantum autem displiceat DEO stu-
 dium odorum suauium quærendo-
 rum, aliarumque illecebrarum sen-
 sualium, narrat Petrus Damianus Lib. de *con-*
 Cardinalis, horribile quoddam casti- *temptu se-*
 gationis diuinæ exemplum. Veneto- *culi c. 9.*
 rum Ducis coniunx mirè dedita erat
 fouendo corpori omnis generis deli-
 cijs, ac singillatim cubiculum suum
 varijs, iisque suauissimis complerat
 odo-

odoribus. Supremus verò iudex Deus, ut omnibus declararet, quantum hic excessus diuinæ suæ maiestati displiceret, horribili morbo, qui omnes eius depasceret, & putrefaceret artus, eam percussit. Vnde factum, ut tam scotos ac intolerabiles expiraret odores, vtius conspectum amici, famuli, ancillæque omnes defugerent: vnica ancillæ tantum animi fuit, ut auderet in conspectum eius prodire, sed ita tamen, ut curriculo ad eam excurreret, & apud eam deponeret, quod erat adferendum, ac mox iterum ob nimiam graueolentiam excederet. Sic illa, cui prius tot suppetebant seruitia, ab omnibus turpiter deserta, in sordibus teterrimis animam exhalauit.

CAPVT XX.

*De mortificando gustu quo ad lauitiem
eduliorum.*

Multæ maximæque inordinationes sunt in sensu gustus, quas necesse est ope mortificationis ad cauenda varia peccata, virtutesque conseruandas, & augendas, in ordinem redigi. Inordinatio gustus est, inhiare cibus lauitioribus palatum

obis